



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 5. De mari Aegaeo propriè dicto.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

Sed hinc nihil conficitur; loquitur enim de maribus obnoxiiis tempestati. Et ut aliquid concedamus, ostendemus duo hæc maria inter se committi, sed ab Occidente in Orientem, non à Meridie in Septentrionem.

§. 4. De Mari Macedonico, & Græciensi.

MACEDONICVM non vni duntaxat affunditur Macedoniæ, sed littus Australe Thraciæ lauat: ita disertè Plinius lib. 4. cap. XII.

GRÆCIENSE Græciam alluit, & fortè est *Argolicum* Maronis lib. 5. Dictum esse videtur etiam *Ionium*, quod à Seneca in Thebæide ad Hellespontum vsque promouetur:

*Hinc quæ relinquit nomen Iouis maris*

*Fauces Abydi Sestos opposita premit.*

Sicque *Ionium* illud diuidi potuit apud Plinium in *Siculum*, & *Creticum*.

§. 5. De Ægeo propriè dicto.

ÆGEVM mare dictum est, vel ut ait Festus Pompeius quod insulæ huius maris non malè repræsentent gregem Caprarum (*αἴξ Capra*) & fluctus ad illas Caprarum more lasciuire videantur: vel ut ait Plinius lib. 4. cap. XI. à Scopulo inter *Tenum* (malè *Tendum*) & *Chium*: vel ut Eustathius ad primum Iliados ab Ægeone pirata qui vsus est Eubæâ insulâ pro *ἑμπυρνεῖα*: vel denique ut mauult Strabo ab Ægis Euboicis. Termini illius maris varij à Strabone, & Plinio statuuntur. Strabo enim lib. 7. illud mare non affundit toti Thraciæ, sed ad *Strymonem*, (aut ut habet alia lectio) ad *Nessum* tantùm promouet; Ptolemæus autem extendere videtur ad Fl. Melanem Plinius verò cap. XI. lib. 3. Ægeum quidem mare, per Sinum *Melana* interruptit; sed lib. 5. cap. 2. promouet à *Sigæo* Prom. ad *Argenum* Pro. insulæ Chio respondens.

§. 6. De Icario Mari.

ICARIVM mare nomen accepit ab Icaro, qui liquefactis alis in hoc mare cecidit, ut mythologi; aut nimium extendens alas ventorum nauigio suo, hinc naufragium passus est, ut Palephatus